

D E L F L A N D I A.

44

Haga. ratio, cum nullo probata fidei historico vetere, sed sola traditione ac inveterato rumore nita-
tur.

Præter hæc eminet in hoc agro *Haga-Comitis*, quam delitiis suis & otio olim destinarunt Principes, & Sanctiori consilio locum, nunc liti-
bus etiam trahendis solvendisq; dedicatum. Hic locus opibus, ædificiorum splendore, cultu, ma-
gnitudine, hortorum amoenitate, nobilitatis frequentia, nulli urbium cedit, plurimas etiam superat. Palatium habet regiæ magnificentiae opus, fossis in modum arcis circumdata, cui piscina per ampla ad Septentrionem objecta, Gulielmi Comitis & Romanorum Cæsaris opus: nuper magnifica structura à Principe Mau-
ritio ampliatum. Hic sedes est Principis, præfe-
ctique Hollandiæ. ibidem & sacrarium quod-
dam juris & legum. hic reliqua Collegia Or-
dinum tam Generalium, quam Hollandiæ suis conveniunt locis: uti & Tribuni ærarii. Munici-
picio contiguum est amoenissimum nemus. In

meditullio fere Delflandiæ, conspicitur cum uberrimis agris *Delpha*, Godefridi Lotharingi, *Delpha*. cognomento Gibbosí, ut creditur, opus. Vrbs variam fortunam experta; & sub Alberti Bavari immitti imperio mœnibus nudata: sed postea restituta. anno c 1313 xxv fortuito incen-
dio pene tota conflagravit: verum è cineribus, ut solet, multo pulchrior surrexit, ut ædium magnificientia tam publicarum, quam privata-
rum cum paucis possit comparari. Forma est oblongiori: nec mœnibus aut vallo, prout ho-
die se res habent bellicæ, satis firma. Cerevi-
siæ coctura olim, quam nunc celebrior, uti &
laneorum pannorum textura. Cives habet opu-
lentos, splendidosque, & qui mercaturam longe
lateque excent. Ager illius pinguis, & inpri-
mis pascius. Portum habet ad Mosæ ripam
valde commodum, *Delpshaviam* vocant, pagus *Delpshavia*
ædificiorum multitudine & incolarum copia
nobilis.

S C H I E L A N D I A.

*Schieda-
mum.*

*A*d Mosam *Schiedamum* est, ubi fossa sive canal is *Scia* terminatur, qui & oppido nomen dedit, & agro circumjecto, quem *Schielandiam* vocant. Nomen & privilegia urbis accepit demum anno Christi c 1300 cclxxiv, quo tempore *Norum damum* est dictum, ad annum usq; 1300, à quo deinceps tempore *Schiedami*, quasi *aggeris Sciam sistentis*, nomen obtinuit. Amplius, splendidiusque *Schiedamo* est *Roterodamum*. ita dictum à Roteræ rivi emissario, quod urbem ingreditur. Emporium est celebre, quippe navigationibus in longinquas regiones non minus notum, quam cetera Hollandiæ emporia, ob opportunitatem fluminis *Mosæ*, qui mœnia illius lambit, & portus commoditatem. Huic quoque superioribus annis magna acce-
fio facta, mœnibus illius aliquoties prolatis: ut jam, si vastitatem spectes, inter majora oppida numerari possit. Nam quum antea urbs inter ortum & occasum juxta *Mosam* porrecta tan-
tum 71 jugera & 537 perticas occuparet: nunc pomero versus meridiem & *Mosam* prolato, duplo major, occupat 144 jugera, & 435 per-

ticas, quemadmodum è publicis instrumentis sumus edocti. Templum habet structura ma-
gnificum, & turri altissima longe conspicuum:
forum amplissimum, aliaque publica ædicia
splendida; privata quoque structuræ haud ine-
legantis. Præter mercaturam, quæ hic post Am-
stelodamum imprimis viget, superioribus quo-
que annis cerevisiæ coctura celebrari cœpit,
quæ jam omnibus magnopere expetitur. Præ-
cipua illi celebritas ab Erasmi natalibus, cuius
illic statua ænea in urbis foro conspicitur. Tra-
ctum hunc omnem & agrorum periodum ter-
minat versus angulum Orientalem *Gouda*, urbs *Gouda*. sita ad Isalam, diverticulum fluminis, fossâ per-
petuâ per *Trajectenses* Vianam versus deductâ corrievatum, quod primo Iselsteinum adit, inde Monfortium petit, modo Oudewateram per-
labitur, tenui ubique alveo, & qui æstivis men-
fibus vix cymbas fert: deinde *Goudam* præter-
fluit magno aquarum auctu copiosius: demum
justo amni par è regione Iselmundæ in Meru-
wam sive novum *Mosam* decurrit.

B E L G I C A.

V v

I N S V L A E.